Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift



165

inconspectu eius. ipse nouit omnes cogitationes hominum. ipse numerat multitudines stellarum. ipsi patet abyssus. et infernus non est absconditum coram eo. quasi cum disputare ipsi cum singulos rationem nobis ponit. et in scripturis suis manifestet sacramenta quae fuerunt abscondita a seculis et generationibus. ut consideremus beatitudinem angelorum utilitatem hominum. et calliditatem malignorum spirituum. sicque quod malum est reprobantes. quod bonum est eligamus. et ipsum sectemur semper immunem et mondum. Erudiebat decunctis populis ad audiendam sapientiam salomonis. et abundantis regibus terrae et audiebant sapientiam eius. hinc esaias propheta ait.

Et erit in nouissimis diebus paratum mons domus domini in uertice montium. et eleuabitur super colles. et fluent ad eum omnes gentes. et ibunt populi multi et dicent. Venite ascendamus ad montem domini et ad domum dei iacob. et docebit nos uias suas. et ambulabimus in semitis eius. quia de syon exibit lex et uerbum domini de hierusalem.

Mons domini qua edificauit rex salomon in hierusalem. in figura facta est sedis uniuersalis ecclesiae quae a primo electo usque ad ultimum qui in fine mundi nascetur est constituit per gratiam regis pacifici sui uidelicet redemptoris edificatae. quae parte adhuc peregrinatur abillo in terris. parte iam quasi peregrinandi transmisit cum illo iam regnat in celis. Sed in ultimo iudicio tota eorum regnatura cum illo. Ad hanc domum properant electi angeli quoque nobis similitudo in futura uita promittit dicente domino. Illi autem qui digni habebuntur seculo illo et resurrectione ex mortuis neque nubunt neque ducunt uxores. neque enim ultra mori potuerunt. aequales enim angelis sunt. et filii sunt dei cum sint filii resurrectionis. Ad hanc properat ipse mediator dei et hominum homo christus ihesus. ipso attestante cum ait. Soluite templum hoc. et in tribus diebus excitabo illud. Quod exponens euangelista subiunxit. Hoc autem dixit de templo corporis sui.

pacem